

vel trunco Instrumentum ad Baculi latus dispone, juxta doctrinam cap. 10. Volve tunc Regulam A E. in semicirculo super lineam ad litteram C. alteram verò Regulam ad litteram D. adeò ut ambæ Regulæ iustam Quadram efficiant, & Regula A E. stet erecta & perpendiculariter.

Firmato Instrumento, ne dimoveri possit, volve Dioptram H. in Regula F. ad puncta 24. Dioptram verò G. in Regula E. ad metam distantia vel longitudinis quaesita: & reperies puncta 924. Quoniam verò pedes 12. pro lineâ notâ habes, Dioptram que H. volvisti ad puncta 24. ideo puncta illa 924. dimidiatim duntaxat sumenda sunt, adeò ut sint puncta 462. Tot igitur pedum est distantia vel longitudo quaesita.

Mensurus deinde ex hac statione complura alia loca, facili labore id perficies sine Instrumenti dimotione. Saltem Dioptram G. volvito. Potes etiam Dioptram H. volvere à punctis 24. ad 12. & habebis pedes 924.

CAPVT XXVI.

De Instrumenti usu in dimetiendâ longitudine vel distantia, in campo, per stationem unam, ex dato loco aequali.

BENEFICIO huius Instrumenti in loco aequaliter sito per stationem unam longitudo pedum 200 & amplius potest mensurari. Si videlicet Instrumentum divisum sit in mille partes. Quod si in partes plures, putâ in 2000 vel 4000. sit divisum, proinde que longiores existant Regulæ, tunc vel 400. aut 600. pedes per unam stationem in campo plano, disposito ut antè Instrumento (sicut docet sequentis capitis exemplum) possunt mensurari.

Infige